



Q. B. V. D!

Gymnasii Curiani Primordia

Historicè exhibet,

atque

Actui Encomiasti-  
co Valedictorio

in eodem Lyceo

Post sacra matutina ad diem 19. Septembris  
habendo

viam sternens,

ad

*destinarum tempus ut*

Curianæ Urbis Proceres

atque literarum elegantiorum Fautores quicun-  
que honorificam præsentiam suam Musis Sa-  
lanis commodent decenter orat.

M. Johannes Christophorus Weiß

Gymn. Rector.

---

*Litteris Minzelianis,*



**N**ondum memoriâ nostrâ excidit regalis propè pompa, quâ Brennonum Elector & Mogâ sagôque clarissimus, medios inter hostium irrores FRIDRICANAM Halensium Academi- am magnificentissimè condidit; cum illustris quod Curia floret Gymnasii primordia nobis descri- benda veniunt, quæ Princeps olim non minus Nestorea vita dignissimus, Albertus junior, Alcibiades ob fortunæ ludibria dictus, pari sanè in DEUM religione, artium amore & muni- ficentissima pietate inter ipsa Martis discrimina Anno 1543. illi auspiciò dedit. Cum enim sub moderamine Doctissimi Schlemmeri; qui fixus semper insolenti institutione severiori- que disciplina, velut duobus firmis Literariæ rei colu- mnis, habuit oculos, Schola DEO juvante, quotidie effloresce- ret magis ac in clementia sumeret, ut locus ille antiquus Musis antithac sacer Præceptoribus ac Discipulis non ampli<sup>9</sup> sufficeret, procul dubio, sua & cooperatione, Dni. Superattendentis Leon- hardi Eberhardi, spectatissimi tum temporis Urbis consules, quos utpote æterna memoria dignissimos honoris causa juvat nomi- nare: Jo. Techius Senior, Conradus Jan/Michaël Klug & Vitus Jodizerus, cum reliquo ordine Senatorio, quomodo de commodiori Mu- sarum sede civitati prospiceretur, paulò serius deliberârunt. Liberato autem opportunissimè eodem tempore ab ἀρχαῖς τῆς πόλεως Coenobio Franciscano, (ultimi namque Monachi Mo- chelius & Knoll orthodoxam religionem amplexi fuerant,) nihil consultius visum fuit, quam ut in literarium usum, quò primitius monasteria condi cœperant, hoc ipsum converteretur, atque Principalis inde Munificentia, eadem de causa imploraretur. Missi capropter sunt ex ipsorum medio bini unâ cum Polygrapho Johanne Baumeistero ad Serenissimum, qui, ab eo voto damnati, adeò feliciter Gymnasii fundamenta jecerunt, ut Optimus Princeps non solum Templum & reliqua ædificia sacris usibus dicata Gymnasio erigendo annueret.



atque addiceret, sed & reditus annuos omnes cœnobii hujus Magistratui ad sustentandos ac fovendos ritè Scholæ Magistros liberalissimè donaret. Literæ donationis Datæ sunt Blassenburgi Die Lunæ post Dominicam Oculi Anno 1543. Admota igitur illicò manus operi fuit, & ædes illæ, quæ servandæ Monachorum Bibliothecæ & hilaritati æstivæ inserviebant, binis acroateriis locum dederunt: Inferiori, in quo velut in seminario prima artium & reliquarum rudimenta docerentur pueri; & superiori, ubi altiorum disciplinarum tyrocinia ætatis & doctrinæ provectioris Musæ ritè deponerēt. Utrumque etsi capacissimum sit; ingenti tamen multitudine sæpius refertum adeò fuit, ut aliquando in ædibus, quæ Cantori habitaculum præbent, quærendum instituendæ classi spatium fuerit; In suprema verò ejusdem domus contignatione Alumnorum habitacula conspiciuntur: de quibus postea, Cæterum non possum non, quin perspicacissimi alias & maxime industrii rerum Curiens. observatoris *Widemanni* nostri sive incuriam, sive livorem incusem, cum extera omnia solertissime persecutus, imagines & inscriptiones omnes, quæ fronti scholæ Ebraicis, Græcis atque latinis literis adpictæ erant, sive ex odio erga Collegam, scriptionis Autorem, sive, quod putaret nigras Cadmi filias longius duraturas, planè neglexerit, quas tamen posteritati communicasse non alienum prorsus ab officio ejus fuerat. Quantum nihilominus ex delictis pluriâ literis patet, exhibuit fortè pictura scholam cum dictis aliquibus scripturæ ex Psalmo 8, & Marc. X. v. 14. &c. in apice atque ab utraque latere insignitam, cui hæc subjecta non multum abhinc legebantur:

STRUXERUNT ALII NOBIS, NOS POSTERITATI,  
Versus hortum Rectoris hæc ab interitu supersunt:

*Erasmi Sapphicum*

*Brevibus precamur*





( 326 )

- - - - *Auspice Christo*  
*Literas Graecas simul & Latinas*  
*Et fidem Sacram teneris*  
- - - - *Combibat annis.*

Transformationis autor seu ædilis fuit Conradus Zahn/Con-  
sul urbis & sacri ærarii præfectus meritissimus, qui adeò uris  
sedulò opus, ut Anno 1545. dedicatio Scholæ suscipi omninò  
potuisset, nisi pestis, quæ, hoc ipso Anno, 1400. hominum  
abitulit, operi remoram injecisset. Collecta ergo rursus, quæ  
contagium dissipaverat, Scholastica pube, inauguratio novi  
Gymnasii facta demum est, d. 14. Junii Feria 2. Pentecostes,  
Anno 1546. Dicit non potest, quanta solennitate scholasticum  
agmen ex ædibus S. Michaëlis comitantibus & gratulantibus  
*omnium ordinum hominibus*, (Nam fastus sequiorem sexum non-  
dum sic corruerat, ut propter honoris litigium, quod vocant  
præcedentiæ, se ejusmodi solenniis subduxisset,) inter devo-  
tissimas hymnorum modulationes, quæ à corollis ornata,  
juventute resonabant, primum in Templum Coenobiale & fini-  
tis ibi sacris, deinde in Lyceum nostrum introductum fuerit,  
ubi Jacobus Schlemmer s. Potitius, ut latinè audit Streitber-  
gero, habita in præsentia Dni, Superintendentis, Leonhardi Eber-  
hardi & Collegarum Parænetica oratione, auspicia futurorum  
laborum felicissimè captavit, & modò dictus Episcopus benedi-  
ctionem gregi impertivit, moxque d. 16. Junii docendi ini-  
tium auspiciatò factum. Quæ anniversaria foundationis & in-  
augurationis memoria quotannis etiamnum recolitur, ita, ut  
Rector Gymnasii ad solemnem festamque *Processionem* omni-  
um Dignitatum, ordinum atque ætatum sexusque utriusque,  
status aliquot scriptis in vernacula versibus decenter invitet,  
ad alterum deinde, ipso Gymnasii natali, datum campanâ si-  
gnam, conflante in Michaëlitanis ædibus multitudine, per  
ducem primæ classis orationem vel Latino, vel Germanico  
idiomate conscriptam, quæ expositis Scholæ Primordiis, Deo,



omnium Scholarum moderatori summo, Principi deinceps Alberto cum Munificentissimis successoribus, atque ministrissimis ipsorum, omnibusque adeo Musagetis publicè persolvuntur grates, (quod typis exscripta non ita pridem, sub Layriziano moderamine, elegans oratio, pluribus eloquitur) recitare, atque viam processioni sternere jubet RECTOR. Finitâ hac, ex hymnis: *Qui es veritatis Spiritus* decantatur, recitatur *Pater noster* & circumcundo in templo orditur Cantor: *Gen Lob und Ehr mit hohem Preiß!* plane ad veterum morem, cui jungitur exeundo: *Veni Sancte Spiritus*. In procedendo: *Veni creator Spiritus* &c. In Processione præmittitur Ludimoderatorum pubes, cui succedunt Gymnasi cives cum Præceptoribus; inde post venerandum verbi Ministerium, Politicum gregem ducit Exarchus Provincialis Curianus, (in quo pietatis genere, Illustrissimus Comes ac Dominus, Dominus de Ronov & Biberstein, Dominus noster multum gratiosissimus, ut est Musarum amor ac delictum & incomparabile omnis honesti præsidium, exemplo non minus, quam dignitate præluet suis) eum sequuntur reliqui ex Doctorum, Officialium, atque Senatorio ordine, quibus civium tandem se jungit frequentia. Simili ferè serie & femineus ordo processionem claudit, quam hodiè exiguo numero, ut verendum sanè ne egregius plane pieque receptus mos tandem in desuetudinem veniat; quæ etiam causa est, cur operosior in describendo hoc laudabili veterum instituto fuerim, ne posterius olim Majorum pietatem planè ignorent. At enim verò cum multa mala *Hesperie dederint neglecti Dii*, ut Poëtæ voce utar, vereor etiam ne aliquando neglectus ille magnum urbis cimelium perdat, quod tamen subinde augere gloriâ minatur infinita cœli benignitas. Post concionem, in cujus exordio vel de *utilitate Scholarum*, vel de *officio discipulorum*, l. de *Præceptorum dignitate*, l. de *officio civium erga Gymnasium* &c. quædam differuntur, per



vices binis semper annis semel Historia Gymnasii è cathedra Ecclesiastica legitur, & Præceptorum omnium mentio fit, addito voto, ut laus & decus perennet Scholæ. Hæc de primordiis Gymnasii, quod quadraginta circiter annos antiquius antiquissimo illo Hailsbronnensi est. Vellem jam reliqua, quæ de officio Præceptorum æque ac discipulorum restant, persequi, sed exclusus chartæ spatii, nonnulla ad ipsam Gymnasii domum pertinentia nunc modò addam, reliqua propediem fusius typis exscribenda daturus. Sciendum itaque porrò de hac est, eam ab initio reformationis cum Rectoris ædibus ponte aërio junctam fuisse, cujus vestigia hodiernum apparent, qui procul dubio tum fuit ablatus, cum Anno 1578. Rectore Cadesreutero, Gymnasium intrinsecus atque forinsecus opere cæmentitio fuit renovatum supraque memoratis scripturis ornatum. Post hæc aliquot annis mutationem nullam subiit, nisi quod Anno 1594. fornacis & fenestrarum jacturam per manus nefarii cujusdam nebulonis, (de quo piaculo infra pluribus,) fecerit, quod damnum mox tamen fuit restitutum. Cum vero latus illud, quod ad fossam vergit ruinoso niti cœpisset fundamento, non solum lapideis pilis extrinsecus illud fuit firmatum, sed & post fornices atque ambones, quibus ad superiora ædium nitimur, tum primùm extractos, camini etiam è fundo erecti denuò sunt Anno 1600. mense Julio Tantum & de hisce. Epimetri jam loco lubet hæc recensere mirabilem casum, quo DEUS, quam sanctè haberi has ejusmodi officinas Spiritus sancti velit, clarè ivit ostensam: Anno 1560. inter alumnos degebat hic Johannes Psiloderner / Ludimoderatoris in Cunradbreuth filius, qui cum inter sacra vespertina dominicalia in superiori auditorio cum aliquibus sociorum luderet & petulantia indulgeret, in sycum ante forestinicum intinnabulorum inopinatò percepit, quo tertia vice audito, cum reliqui ex metu dilaberentur, diabolus

alu-



alunnum hunc corripicns è fenestra illicò expendit, ubi vix opem è templo venientium hæsitans potuit expectare, ut à gravi & fermè lethali lapsu servaretur. Quod ceterum despectro alio, quod den kalten Gast à frigitate vocarunt, ex ore honesti viri, qui *viv èv àyiois*, hausi, illud nempe singulis noctibus aliis sese adlocasse & locum suum citra læsionem cubantium olim cotidie occupasse; nec non de discipulo, qui cum è cranio ex Franciscano templo ablato bibisset, ad restitutionem cranii illius nocte à spectro fuit adactus, circumferturo illius veritatem suis relinqvimus autoribus. Nos DEO habemus grates, quod hodie secura ab hinc talibus omnia sint, & non idem satanæ, quod olim, liceat; contra labori Scholastico ita benedicat Numen, ut nunquam non sint, qui cum spe promovendi aliquando communis boni in Academies queant ablegari, cujus causa & crastinus actus intimatur, quo aliquot *juvenes & honesto loco nati, & ingenii flore & artium amore cultu- que insignes*, Vale Gymnasio publice dicent, eoqve ipso primus:

NICOLAUS Fischer/Swarzbaco ad Salam Variscus, qui mense Majo 1687. nomen albo dedit, Baruthum laudabit, Alter:

WOLFGANGUS HEINRICUS Abt / Viri Amplissimi & Consultissimi Domini Johannis Heinrici Abtii, Consulis apud Monachomontanos spectatissimi filius unicus, qui d. 20. Julii 1691. Musis accessit nostris, Culmbacum commendabit; Tertius denique

GEORGIUS PAULUS Völkel/Hirschbergensis, Viri Reverendi admodum atqve clarissimi Johannis Wolffgangi Völkelii, Pastoris Kødizensis, opti-




optimè meriti Filius unicus, insertus albo d.  
12. Julii 1687. laudata Curia Eucharisticam ritè  
addet.

Qvos ut cras post sacra matutina gratiosè atqve benevolè au-  
dire dignentur *SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI*  
*NOSTRI NUTRICIIVQVE CLEMENTISSIMI* Confliorum  
*Præses Summus, Consiliarius Intimus Eminentissimus, Exarchus Pro-*  
*vincialis Curie Gravissimus, Illustrissimus Comes ac Dominus, DOMI-*  
*NUS JOHANNES ALBERTUS, Comes de RONOV & BIBER-*  
*STEIN, Dominus in Oppurg, Knau, Krobiz & Grünau, Dominus no-*  
*ster multum Gratiostissimus; NEC NON VIRI Maxime Reverendus*  
*ac Generosus Dominus JOSEPHUS FRIDERICUS à WAL-*  
*DECK, Hereditarius in Culmiz & Dœbra-Stœcken &c. Pastor Pri-*  
*marius Curianus & Vicinarum Ecclesiarum Superintendens, Gymnasi-*  
*item Inspector Dignissimus, cum Reverendo plurimum Ministerio; Nobi-*  
*lissimi, Excellentissimiqve Physicus Ordinarius Adj. & Medici; Consul-*  
*tiss. Domini Officiales; Urbis Senatus Prudentissimus Spectatissimiqve*  
*Gymnasi nostri Patronus & Scholarchæ; NEC NON Honoratissimi*  
*Domini Collegæ, Præ-eximii ac Clarissimi Domini Studiosi, omnesque*  
*Literarum Patroni & Fautores, &c. qua par est, devotione,*  
obnixè rogitò. P. P. die 18. Septembris  
Anno 1694.









Gymn  
Actu  
CO  
Post sacr  
Cu  
atque litera  
que hono  
lani  
M. Joha

ordia  
aasti-  
rio  
ptembris  
eres  
res quicun-  
Musis Sa-  
rat  
us Weiß

28

